

Georg Radow

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis, Georgius Radovius, I.U.D.  
Prof. Publ. ... Ad Natalem Redemptoris Et Domini Nostri Jesu Christi Sancte  
Devoteque Recolendum, Cives Academicos Omnes Et Singulos serio invitat,  
atq[ue] hortatur**

Rostochi[i]: Keilenbergius, 1679

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73597862X>

Druck Freier  Zugang



PROGRAMMA,

Quo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis,

GEORGIUS RADO-  
VIUS, J. U. D. Prof. Publ. &

Amplissimæ Facult. Juridicæ

p. r. DECANUS,

Ad

NATALEM

REDEMPTORIS ET DOMINI

NOSTRI

JESU CHRISTI

SANCTE DEVOTEQVE

RECOLENDUM,

CIVES ACADEMICOS O-

MNES ET SINGULOS seriò invitatur,

atq; horratur,

---

Rostochi, Typis Viduæ B. FRIDERICI KEILENBERGII,

Acad. Typogr. Anno. 1679.

33  
5 154.



**A**d cunas *Pueri*, dum in præsens, CIVES  
ACADEMICI, vocamini, inviti, credo, ad eas-  
dem, si vulgaris idem, deq; trivio foret, acce-  
deretis, facileq; , de quo qvereremini, succur-  
reret: non injuria siquidem Senes Virosq; ,  
velut ad se nil pertinentium cunabulorum  
pudere, ad ultisq; , coram infantulo citari, dolere, ut quod ma-  
ximè, qviret; ast cum aliundè abundeq; jam, ex Sacris nimirum  
Literis, *PUER* hic, ceu citra exemplum *Homo-Deus & Deus-Homo*  
existens, & cujus ad universum Orbem, omnemq; mortalium  
cœtum spectat nativitas, nulli non notus sit, qui gratulatur  
Vobis de Illo, citissimiq; ad scitissimum accursuri sitis, nullus  
omnino dubito. Scilicet, quantum Mihi apud Vos auctoritatis  
exiles in speciem illæ, & ad pompam nullatenus compositæ, *pu-  
eruli & infantis* voces, fortassis detrahunt, tantum augustissimæ  
istæ *JESU & CHRISTI* appellationes vel conciliant, vel cum lar-  
giore fœnore postliminò restituunt. *Illæ* etenim saluberrimum  
adventus incarnationisq; ejus finem, qui *Servare* est, cum pro-  
lubio indicat; *hæc* autem ad triplex eundè officium solemniter  
inungit, nostrumq; & Pontificem & Prophetam & Regem esse,  
publicè pariter solideq; fatetur. *Puerum* ergo Vobis sistimus; sed  
qui *JESUS* idem, & *SERVATOR* est: ad *Infantis* cunas Vos addu-  
cimus; sed qui idem *CHRISTUS*, atq; oleò latitiæ præ consorti-  
bus inunctus est. Hunc sanè per *puerum* nostra *DEO* pueritia gra-  
ta est, hicq; *Infans* pro Viris Senibusq; nobis, infante aliàs ob-  
peccata infantioribus, apud Patrem perorat. Tolle tibi, si audes,  
hunc *puerū*, & non eris, nam *DEUM*, per quem es, tollis: tolle  
hunc *Infantem*, & salutem tolles, nam sic Redemptore destitueris.  
Nec est, quòd crispatò quis, corrugarove nasò *cunas* ejus, ceu vi-  
liores, & in quibus tessellati vel vermiculati operis nihil sit, asper-  
netur. *Quamvis* enim rusticū illas esse inconditumq; lubens fa-  
tear *præsepe*; *quamvis* etiā pro molli plumā turgentibus lectulia  
muci-

crucida stramina, semesumq; à jumentis foenum hic agnoscam,  
cunæq; hæ, loco holosericarum gemmisq; distinctarum fasci-  
arum, pannis & vetustis Evandri stragulis exhibitis, non nisi pau-  
pertate suâ squaloreq; suò se commendent, tamen propter *Illum*,  
quem primæ natum exceperere, quiq; primus in illis vagiit, nihil  
iisdem vel augustius vel splendidius unquam inveniri posse, con-  
tenderim. Hæc namq; paupertas longè opulentissima est, hæc  
frugalitas magnificentiam occultat, egestasq; hæc omni alii, &  
vel summæ gloriæ palmam præripit. Imò si perpurgatis animi  
nebulis hæc ipsa penitiùs inspicimus, bone DEUS, in quantâ vili-  
tate quàm pretiosum depositum, in quantâ humilitate, quantâ  
sublimitatè, in quantâ infirmitate quantam virtutem, in quan-  
tâ ignominia quantos honores offendim? certè, *præ se* hoc ve-  
rum vitæ continet pabulum, in *cunis* his omnis consolationis  
perfectio, omnisq; melioris spei anchora reposta est, in pannos  
hos, velut in spongiam, peccatorum nostrorum sordes incum-  
bunt, perq; has fascias ex infernalibus vinculis lætissimi expedi-  
mur. Et licet sint semiruta hic & araneorum telis plenissima om-  
nia, tamen inter hæc telas incepta salutis humanæ tela feliciter  
per texta est; licet rimis & fissuris cum parietibus tecta hient,  
tamen hic in consolidandâ interruptâ pace *Servator* oppidò  
quàm fuit sollicitus. Enimverò, ita nasci expediebat, ut, Messiam  
se promissum esse, ostenderet, ita nasci, ut cœlestes nobis divi-  
tias daret, ita nasci, ut humilitate suâ superbiam nostram fran-  
geret, ita nasci, ut mundi divites doctore sese paupertatem ferre  
addiscerent. Nascitur in oppidulo, in quo, ut ut omnium Do-  
minus, ne laterem quidem peculium habuit, ut in cœlitum Me-  
tropolim cives regnarem: nascitur in tenebris, ut ipse, veluti lux  
mundi, densissimâ nostram errorū noctem profligaret: nascitur  
in stabulo, ut hac mortalitatis ruente casâ stabilè in cœlis domū  
haberemus: nascitur in itinere, ut peregrinantes in hoc mundo,  
cœlo patriæ tandè redderemur. Prout igitur humana sapientia  
res suas, etiâ vilissimas, quasitò ementitoq; sapio splendore illu-  
strat.

strat, ita divina hic res suas reapse maximas absq; ullâ Phantasiâ & sub humiliore scenâ exhibet. Quàm facile enim *Puer* hie in splendidissimo totius Orbis palatio inter Principes, & faustos populi applausus nasci potuisset? Quàm facile ipsiq; cujus omnia sunt, usibus, regiû aliq;vot, pretiosis summorû Virorû vultibus refulgens, & aureâ suppellestile undiq;vq; coruscans conclave inserviisset? Verùm displicuit DEO iste fulgor, ne rebus aternis momentaneâ, cœlestibus terrenâ, & spiritualibus corporeâ fucum facerent, utq; & heic *Jesulo nostro* intemerata suâ sapientia maneret gloria. Quin, inter hæc ipsa humilitatis quâm plurima signa, non pauciora quoq; divina Majestatis documenta simul promicant. Annunciatur enim nativitas; sed ab Angelo: Mater desponsatur fabro; sed hunc DEUS monet in somnio: Mater virgo est; sed illam Spiritus S. fœcundat: Locatur in præsepis fœnum; sed modos faciunt Angeli: edit vagitum; sed trepidat Herodes: excluditur diversorio; sed adoratur in stabulo: pauperrimus est; sed aurum thus myrrham à Magis donaria accipit. Quàm multæ quæso primæ magnitudinis Majestatis & gloriæ stellæ ex hisce miseriæ scintillulis erumpunt, quàmq; nihil in his minimis maximum non est! Quocunq; nos vertimus, miraculis involvimur! Sed quid de *Puerperâ*, seu matre Jesuli nostri ἀπὸ παρθενης, jam dicemus? certè universa illam Antiquitas inter admiranda semper recensuit, hinc *Origenes*, ab indefatigabili laborum patientiâ, *Adamantius* dictus, in cap. I. Matth. quis unquam, inquit, audit talia, quòd mater sit virgo, ipsa ancilla & genitrix? à seculo non est factum tale, ut portitor orbis portaretur manibus femineis, & qui omnia continet, angustia uteri Virginalis contineretur: & *Bernhardus*, mellifluus ille Claravallensis Abbas, præ admiratione exclamat: ô venter capacior cœlis, diffusior terris, qui illum continere valuit, qui tribus digitis molem terræ appendit! Cur ergo & nos θεοτόκον hanc παρθενομήτρεα non miraremur? Absit tamen, ut, quod plurimis accidit, nimia admiratione fascinati, in contumeliam Filii, immeritam illi, incongru-

congruamq; laudem tribuamus. Frustra enim hic sunt tot Mariolatræ Pontificii, qui ex professo, quod ajunt, justisq; voluminibus, istiusmodi laudes ceu plaustris in illam convexerunt. Tales scilicet, ut per compendium euntes, duos solùm, eosq; præcipuos nominemus, Richardus ille de S. Laurentio, & Clarus Bonarscius, seu Carolus Scribanus fuerunt, cujus ultimi planè Idolatricum, & à B. Dn. D. Dorscheo, celeberrimo quondam hujus nostræ & Argentoratensis Academiarum Theologo, in *Detectione male fidei Papalis* p. 1177. recensitum carmen, multis à Nobis brevitatis studiò omisissis, ita habet:

*Hæreo lac inter meditans, interq; cruorem,  
Inter delicias uberis & lateris.*

*Et dico, si forte oculos super ubera tendo:*

*Diva Parens, mamma gaudia posco tua.*

*Sed dico, si deinde oculos ad vulnera verto:*

*O Jesu, lateris gaudia malo tui,*

*Rem scio, prensabo, si fas erit, ubera dextrâ,*

*Lævâ prensabo vulnera, si dabitur.*

*Lac Matris miscere volo cum sanguine Nati,*

*Non possum Antidoto nobiliore frui.*

*Vulnera restituent turpem ulceribus mendicum,*

*Testa cui saniem radere sola potest.*

*Ubera reficient Ismaëlem sitientem,*

*Quem Sara non patitur, quem neq; nutrit Agar.*

*Ergo Parens, & Nate, meis advertite votis,*

*Lac peto, depereo sanguinem, utrumq; volo.*

*Sæpe mihi Babylon paterâ propinat & aurò,*

*Ingeminatq; meis auribus: euge bibe.*

*Non faciam, vel si cælum miscebitur orco,*

*Non faciam, meretrix impia, non faciam,*

*O sitio tamen! ô vocem sitis intercludit!*

*Nate, cruore sitim comprime; lacte, Parens.*

*Dic Matri: meus hic frater sitit, optima Mater,*

*Vis de fonte tuo promere, deq; meo?*

*Dic*

*Dic Nato: tuas hic frater, mi melle Fili,  
 Captivus monstrat vincula, lytron habes.  
 Ergo Redemptorem monstra te jure vocari,  
 Nobilior reliquis si tibi sanguis inest.  
 Tuq; Parens monstra Matrem te jure vocari,  
 Ubra si reliquis divitiora geris.  
 O quando lactabor ab ubere, vulnere pascar!  
 Deliciisq; fruam, mamma latusq;, tuis!*

Vah, quàm indigna hæc Jesulo nostro Sanctissimaq; ejus Ma-  
 tre sunt Encomia! cumq; ipse pudor, ipsaq; religio, & quæ utriq;  
 Matri nempe & Filio, debem9, amor, talia prohibeat, Nos potiùs  
 à Matre ad Filium, qui & Matris, uti noster est, Redemptor fuit,  
 revertimur. Hunc inquam, velut unicùm salutis fontem, atq;  
 Isaianum ADMIRABLEM, anima nostra præcipuè admiratur.  
 Minimus etenim est, & maximus, mortalis idem & immortalis,  
 sempiternus & ὀλιγοχρόνιος: Cùm sit DEUS infinit9, hominis fit fi-  
 lius: cùm sit Patris gloria, non detrectat stramina: cùm sit Pa-  
 tris sui Verbum, infans non profatur verbum: cùm sit vivus fons  
 vitarum, sitit plenus lacrumarum: cùm sit Angelorum panis,  
 esurit in suis pannis: cùm sit vivus calor terræ, tument membra  
 frigore: cùm sit major omni mundò, clauditur præsepis clau-  
 strò. Vel, si sanctissimas hìc Veteris Ecclesiæ voces, quàm meas  
 mâvis: *Venit in mundum, per quem factus est mundus: Conditor  
 Maria nascitur ex Maria: Semen Abrahæ est ante Abrahamum:  
 Creator est Creatura, Immensus carne tegitur, invisibilis videtur,  
 incorporeus cibatur, impalpabilis palpatur, incomprehensibilis com-  
 prenditur.* Nec audiuntur nobis, qui immensos hujus myste-  
 rii agros brevioris rationis decempedâ metiuntur: Quamlibet e-  
 nim omnem vitam nostram, omneq; ingenium nostrum huic  
 uni speculationi impenderemus, quomodò ab æterno æternus  
 à Patre æterno nato sit, æternusq; hic Dei Filius matre suâ in ter-  
 ris junior extiterit, quid quæso inde aliud lucraremur, quàm ut,  
 agentes

agentes de Dei profundo, in profundum mergeremur, & in abyſſo periremus? Commenta eqvidem eſt Antiquitas, Deos ex Diis, & Semideos nonnullos ex Virginibus eſſe natos; aſt fabulæ ſunt, quas tales eſſe, nec ipſi nugivenduli Poëtæ inficiantur. Hiſtoriz etiam veteres, auctore Senecâ, quamvis ipſe Seneca, Floro, & alii contradicant, Ancum Martium, quartum Rom. Regem *ἀνάτορα* eſſe perhibēt, & teſte Plinio, Tullio ſine genitore nato eſt; ſed hæc ipſa mendacia non niſi ingenioſa ſupporū atq; adulteriōrū in magnis Viris fuere velamina. Hoc unum SOSPITATORI noſtro, qui unus ille, & *ἱεροκλῆς* Admirabilis eſt, tantum modò convenit. Hic nō communi, ut ceteri homines, (qui Ebionitarū, Carpocratianorū, aliorumq; Alogorum error fuit) naturæ ordinē; ſed citra virilem concurſum, imperſcrutabili Spiritus S. operatione, præter & ſupra naturam, in Virgine conceptus, & illaſâ minimeq; interfectâ Virginis virginitate, ex illa nobis natus eſt. Jure igitur optimò tam *Admirabilis Pueri* nunc celebramus Genefia. Celebravit, Dione Caſſiò lib. 54. auctore, *Auguſti* natalem Julius Antonii F. Prætor, & præter ludos Circenſes & venationem ex Scto epulum Auguſto & Senatoribus in Capitolio dedit. De *Herodis* item, inter laſciviores choreas, & Baptiſtæ ſanguine tinctâ fercula, recultis natalitiis, ex Sacris conſtat. Quomodò etiam Magnus ille Indiarum *Mogul*, in celebri urbe Agrâ reſidens, die ſuo natali in bilance quotannis appendatur, & prætiōſiſſimæ iſtæ telæ ſericæ quas corporis ſui pondere adæqvarit, inter pauperes diſtribuantur, Generoſiſſimus à *Mandelſtoh* in Hodoeporico ſuo Orientali *ἀντάρις* recitat. Sed ad hunc noſtrum JESULUM Triumviri hi, omneſq; illorum ſimiles, non niſi grande NIHIL ſunt. Hic eſt ille *Puellus*, quo nato, in ſignum redditæ cœleſtis, terræna PAX ubiq; terrarum viguit, & Janus geminus tertium Romæ clauſus eſt. Hic eſt ille *Infantulus*, quo regnante, ex vaticinio Iſaiæ, *lupus cum agno habitat, & pardus cum hædo accubat, cujus cingulum eſt juſtitia, &*

*fides*



*fides circumtorium renuncius ejus, sub quo populi gladios in vomeres, & lanceas suas in falces constant. Habemus hic Pacis Principem, & Salemi Regem, qui nos DEO, DEUMq; nobis, imò nos ipsos nobis quàm arctissimè devinxit. Attendite igitur nunc, CIVES OPTIMI, insigni illi Cyrilli Hierosolymitani, catechesi XII. monito: Ἀγνείας σύντροφοι, καὶ σωφροσύνης μαθηταὶ ἐκ παρθένου γεννηθέντα θεὸν ἀγνείας μεσοῖς χεῖλεσιν ἀνυμνήσωμεν i. e. castitatis alumni & temperantia discipuli natum ex Virgine DEUM plenis castitatis labiis celebremus. Accurrite quæso, & hunc Davidis inter pectora exortum furculum, ceu verum σωφρογενήτονον, cum júbilo excipite. Faceffant autem odia, faceffat omnis litium amaror, nam hodie cœli melle pluunt, & præter æternam, jam temporalis quoq; PAX, dum post tot everfas urbes, tot laceratas Provincias, totq; hominum terraq; mariq; miserrimè cæso- rum myriades, Christianorum Principum animi, per hujus ὁρθῶ ῥω seu PACIS PRINCIPIS gratiam, tandem coaluerunt, restituta est. Faceffant tristitiæ nebulæ, nam Sol Justitiæ & ἀσθη- γενέτης Jesulus serenitatem introduxit. Faceffat dulce venenum luxuria, nam in stabulo, præsepi & stramine non nisi humilitatis signa sunt. Accedite ad cunas, in quibus DEUS jacet, ut humanitatem addiscatis. Accedite ad cunas, in quibus Homo trepidat, ut patientiam doceamini. Intrate stabulum, in quo Agnus noster, & condolens nobis Pontifex stabulatur, ut in angoribus mares animos habeatis. Quin Vos ipsi cunæ præsepe & stabulum huic infantulo sitis, isq; in corde vestro, quem in diversorio non invenit, locum inveniat, sic & Vos in cœlo locum habentes, cum hoc Nobis nato Jesulo æternum gaudebitis.*

*P. P. Sub Sigillo RECTORATUS, die 25. Decembr.*

*A. O. R. MDCC LXXIX.*



agentes de Dei profundo, in profundum  
abyssu periremus? Commenta equidem  
Diis, & Semideos nonnullos ex Virginit  
sunt, quas tales esse, nec ipsi nugivenduli  
storia etiam veteres, auctore Seneca, qua  
& alii contradicant, Ancum Martium,  
*andropia* esse perhibet, & teste Plinio, Tull  
sed haec ipsa mendacia non nisi ingeniosa  
orū in magnis Viris fuere velamina. Hoc  
nostro, qui unus ille, & *εξοχμῶς* Admira  
convenit. Hic nō communi, ut ceteri ho  
Carpocratianorū, aliorumq; Alogorum e  
ne; sed citra virilem concursum, imp  
operatione, praeter & supra naturam, in  
illasa minimeq; interfecta Virginis vir  
natus est. Jure igitur optimo tam *Admi*  
bramus Genesis. Celebravit, Dione C  
*Augusti* natalem Julius Antonii F. Praeto  
tenses & venationem ex Scto epulum A  
iit Capitolio dedit. De *Herodis* item,  
reas, & Baptistae sanguine tineta fercula  
Sacris constat. Quomodo etiam Magnus  
in celebri urbe Agrā residens, die suo na  
nis appendatur, & pretiosissima ista tela  
pondere adaequavit, inter pauperes distri  
mus a *Mandelsloh* in Hodæporico suo O  
tat. Sed ad hunc nostrum JESULUM Trium  
rum similes, non nisi grande NIHIL fun  
quo nato, in signum redditae coelestis, terr  
rum viguit, & Janus geminus tertium Ro  
ille *Infantulus*, quo regnante, ex vaticinio  
*habitat, & pardus cum haedo accubat, cujus*

ur, & in a  
as, Deos ex  
; ast fabula  
antur. Hi  
neca, Floro,  
m. Regem  
re nato est;  
q; adulteri  
PITATORI  
tum modo  
bionitarū,  
tura ordi  
Spiritus S.  
ceptus, &  
illa nobis  
nunc cele  
auctore,  
ludos Cir  
natoribus  
ores cho  
talitiis, ex  
a *Mognl*,  
e quotan  
orporis sui  
nerosissi  
his reci  
nesq; illo  
e *Puellus*,  
iq; terra  
st. Hic est  
cum agno  
ustitia, &  
fide

